

Coniectanea.

I Nonius p. 88: *cribrum*. *Lucilius lib. XXVI* 'cribrum incerniculum lucernam in laterem in telam licium'. ne amplius turbae fiant hoc versu, quem ne Lachmannus quidem abstinuit quin audacter mutaret (fr. 547 L. 484 Baehr., Birt *zwei polit. Satiren* p. 126), adscribam emendatum et distinctum:

cribrum, incerniculum, lucernam, laterem in telam, licium.

supellectilem aut instrumenta mulieris pauperulae Lucilius enumerat κόσκινον τηλίαν λύχνον λείαν τήν καὶ ἀγνύθα μίτον. nam lateres adhibuisse textrices tanquam pondera ad suspendendam derigendamque telam disci potest ex eis quae Ritschelius de ponderibus his commentatus est opusculorum IV p. 678. Pollux onom. VII 36 ἀγνύθεσ καὶ λείαι οἱ λίθοι οἱ ἐξηρημένοι τῶν στημόνων κατὰ τήν ἀρχαίαν ὑφαντικὴν. Tibullus II 1, 65 *aliqua adsidue textrix operata Minervae cantat et apploso tela sonat latere* ubi mireris si etiam nunc sint qui *latus* dixisse poetam credant, non *laterem*. later sive latis sive ut plerique dicebant, hic las (Pompeius GLK. V p. 187, 4) dum textit mulier modo sursum modo deorsum fertur et quotiens subleatus recidit in terram, apploditur scilicet assonatque numerose cantui ac labori.

Nonius p. 320 honorem sepulturam interpretatur, *Lucilius lib. XXVII* 'nullo honore displetu nullo funere' (fr. 520 B.). mutilum aliquot syllabis versum septenarium oportet fieri, in corruptis inesse *fletus* Iunius et Fruterius viderunt, *fletu* Duentzerus. redintegrandum carmen sic est

nullo honore, nullo heredis fletu, nullo funere.

supplementum subvenit mihi ex Syri sententia *heredis fletus sub persona risus est*, Nonii scriba ab hono[re ad eandem in e]redis syllabam deerravit.

similiter admutilati sunt Lucili versus ex libro XXVIII quos Nonius in *sumere* p. 395 transcripsit (598 B.), accessit autem in altero hexametro quod vix certa ratione diluas vitium. tales fuisse puto:

*omnia viscatīs manibus leget, omnia sumet,
omnia, crede mihi, prossus res auferet omnis.*

Nonii scriba transiit *sumet omnia*, tum dedit *mihi presse auferet* in quo *res* cum altero quodam verbo conflatum est. Lachmannus quidem *presse* retinuit, sed neque hoc apte cadit in legentem sumentemque et *omnia, omnis res* quia continuo repetuntur, novis deinceps auctibus extolli decuit.

quasi philosophatus Lucilius in XXVIII exsilium suppliciumque hominis ad quattuor elementa rerum redegit, qui locus in nulla dum editione prorsus recte expressus legitur, XXVIII 1 Muel. 690 L. 590 B. nomen hominis deferetur, reus fiet apud Lupum iudicem. *non aderit: ἀρχαῖς hominem et στοιχείοις simul privabit; igni cum et aqua interdixerit, duo habet stochia* ubi ἀρχαί per ambiguitatem mixto Empedocleo ac forensi sermone honores civiles et causas vitales secedentis in exsilium rei significant. *ad fuerit: anima et corpore — γῆ corpus, anima est πνεῦμα — posterioribus stochiis, si id maluerit, privabit tamen.* condicionale *ad fuerit* ut illud *in caelum, iusseris, ibit.* si ad fuerit in iudicio, si id maluerit reus, privabit tamen Lupus eum condemnans anima et corpore, id est cum anima et corpus terra et aer sint, reliquis duobus elementis.

ex eodem libro fr. 593 B. *habés omnem rem, timeo ne accuser:* vereor ne socordia scribae decurtarit versiculum, adice *miser* et habebis integrum. fr. 578 *aquam te in animo habere intercutem:* deest pes senario, offendit in illo quidem scriptore intercutis animo adsignata aqua, *alnimo* enotatum est ex Harleiano. conieci *aquám te inani in alvo habere intercutem* id est tursisse ventrem tuum non cibo sed hydrope, nam inopiam cibi inanis alvos denotat (Iuven. 5, 7). utut cetera, *alvi* quidem a Lucilio ortum esse verbum credo.

non nulla Nonius recte mihi videtur tradidisse quae editores mutarint in peius. ut in hoc libro XXVIII me contineam, verissime libri fr. 576 *nil párvī ac pensi, ut litteras doceas lutum, οὐ μικρὸν οὐδὲ μισθωτόν, nichts kleines und bezahlbares,* nam *pensi* in suo ac proprio significato mansit (quot pondo vis pater pendat, nil pensi est pro illa opera), nec male Nonius *significat exaequatum.* similes magistrorum querelas Iuvenalis edit 7, 165. bene libri fr. 579 *hinc ad me, hinc — licet — anus rúrsum ad armillum.* ridet is qui loquitur hominem ad se tanquam anum ad armillum euntem ac redeuntem, intericit *licet* ut nil morari se nec detrectare reditus istos exemplarque turpiculum, immo adsentiri

et cedere declaret, more vulgari quem ostendunt comoediae (germ. *meinetwegen*). bene libri fr. 595 *orationem facere compendi potes, Salvi, dum salvo tergo et tergino licet*, nam Salvius multis nomen fuit servis, nomini huic per ridiculum adseruntur serviles res salvae. optime libri fr. 581 *persuade et transi, vel da quam ob rem transeas* id est ut hoc eligam exemplum, Athenas transeundum esse persuade nobis et sinemus te transire, aut dic aliquam transitionis tuae causam. cui versui proximus fuit, id quod Lachmannus animadvertit, verum insecutus magis quam praemissus 573 *vel si alio opus sit, fore si hinc aliquo cesseris*. Lachmannianam emendationem fr. 558 *prospiciendum ergo in senectam nunc ab adolescentia est* confirmat opinor graeca sententia, ἐφόδιον enim ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας Bias vocasse narratur sapientiam.

alia sane quidem mutari oportet, ne verba nihil valeant. nec raro accidit ut partem veri vidisse te censeas, totum expedire nescias. velut in fr. 566 *praeterea haec subsiciva, si quando voles operam* certum habeo scripsisse poetam *si quam do*: tanto minus placet *voles* aut *volens*, optamus quod huic libro ac Lucilio plane convenire sentio *scolis, σχολαῖς*.

II Arusianus Messius exempla sua elocutionum Olybrio et Probino inscripserat qui consules fuere anno 395. itaque librum aut hoc anno aut quia fratres eidem ex una domo fuere, circa id tempus compositum esse Hauptius statuit (GLK. VII p. 447). ad consulatum fratres proveci sunt teste Claudiano I 69 142 150 al. adolescentuli pubentes imberbesque, *Pieriis pollent studiis multoque redundant eloquio*. tamen etiam octo decemve annis antecessit consulatum eorum quadriga ista ab oratore missa pueris ut cum Petronio loquar nascentibus. nam Ambrosium Messi volumen adhibuisse video tum cum de fuga saeculi ipse scripsit, circa annum 387 ut docti editores ratiocinati sunt, neque ego inveni ab horum ratione cur discederem. profert ibi Ambrosius 3, 16 p. 424 Bened. p. 577 Mig. ex epistula ad Hebraeos 7, 26 pauca verba adnotatque: *'talis enim' inquit 'nobis decebat': recta elocutio, siquidem et apud eos qui verborum et elocutionum dilectum habuerunt, huiusmodi invenitur dicente aliquo 'locum editiorem quam victoribus decebat'. quod ideo non praeterii, ut sciamus quia apostolus naturalibus magis quam vulgatis aut secundum artem utitur verbis*. respexit inquam Ambrosius ad recentem Messi librum in quo legimus p. 465, 2 *deceat tibi, Sal. hist. I locum editiorem quam victoribus decebat capit*. nam etsi hoc idem de Salustio exemplum Servius prompsit ac plures inter se tradere per

manus potuerunt, tamen quae vir sanctus praefatus est plane enuntiant oratoriae quadrigae indolem ipsumque titulum.

III Libelli περί ὕψους paginae postremae in P nimis multis deformatae sunt vitiis, putes archetypum codicem sicut in Plauto atque alias accidit, postrema parte pessime esse habitum simul et mutilatum. admirabilis illa in capite 44 disputatio prope est ut perpurgata legatur, tamen tria quaedam monebo mihi nondum videri emendata.

p. 67, 9 ed. Vahlenianae τὰ γλωπτόκομα ἐν οἷς οἱ Πυγμαῖοι, καλούμενοι δὲ νᾶνοι, τρέφονται: prave haec esse enuntiata Scaliger aliique senserunt, nam erant nani *Zwerge*, vocabantur autem πυγμαῖοι quasi *Däumlinge*. itaque invertendus potius erat verborum ordo aptandusque ei quem tenuit Iuvenalis 'nanum cuiusdam Atlanta vocamus', aut scribendum οἱ πυγμαῖοι καλούμενοι ἢ νᾶνοι. sed nanorum nomen Manutii coniectura est inlatum quamvis scita, tamen vereor ne falsa: δὲ νᾶοι codex, quo converso in antiquiorum ductum litterarum hoc evadet οἱ πυγμαῖοι καλούμενοι δοῦλοι.

p. 68, 10 sequitur Πλοῦτον conlata manu pariter gradiens Πολυτέλεια καὶ ἅμα ἀνοίγοντος ἐκείνου τῶν πόλεων καὶ οἴκων τὰς εἰσόδους, εἰς ἃς ἐμβαίνει καὶ συνοικίζεται. corruptela manifesta quo in verbo insederit, neque alios neque me ipsum olim (mus. XXXIX p. 274) satis perspexisse arbitror. nempe ἅμα et supervacaneum est admodum nec scriptum in codice quippe qui habeat ἄλλα. quidni hinc exsculpamus id quod enuntiato deest verbum? facio igitur καὶ χαλᾶ: laxat clausas repagulis portas Lautitia ut possint aperiri, aperit dux itineris Plutos, χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα venerat in proverbium. in Luciani Navigio cap. 42 Timolaus optat ἅπασαν θύραν προσιόντι sibi ἀνοίγεσθαι χαλωμένου τοῦ κλείθρου καὶ τοῦ μοχλοῦ ἀφαιρουμένου. lepide atque ex vero Lautitiae ut sollicitet domos et claustra discutiat, munus adsignatur aegrum saepe et difficile, ἡβῶντος ἀνδρὸς δεῖ εἰς τὸ χαλάσαι τὰς πύλας schol. Aeschyli Choeph. 878.

p. 69, 6 ἀνάγκη γὰρ τῷ δωροδόκῳ τὰ οἰκεῖα μὲν φαίνεσθαι καλὰ καὶ δίκαια: duo offendunt me, insolenter addita μὲν particula, quam si adhibiturus erat scriptor, sic debebat ponere τὰ μὲν γὰρ οἰκεῖα ἀνάγκη τῷ δ. φαίνεσθαι δίκαια, tum οἰκεῖα verbum male adlectum. neque enim οἰκεῖα dixero quae amicorum quidem meorum sunt sed prorsus mea non sunt, immo aliena a me et adsumpta imperio alieno; vix ista sententia fiat perversior si τὰ ὀθνεῖα supponas. latet participium desinens in -μενα, con-

ieci τὰ ἔωνημένα. Petronius sat. 14 'indiciū nihil est nisi publica merces, atque eques in causa qui sedet, *empta probat*'.

IV Scholion Persii sat. 1, 56 *tractus sensus ex graeco versu, quo significatur ex ventre crasso tenuem sensum non nasci*. docte adscripsit Pithoeus παχεία γαστήρ λεπτόν οὐ τίκτει νόον, non indicavit tamen unde sumpsisset, nec firmavit fidem adscriptis. quae ego duobus locis inveni, alii forsitan ex pluribus cognita habeant. memoravit enim Galenus de medicina conlata cum gymnastica cap. 37 (V p. 878 K.) sic praefatus τοῦτο πρὸς ἀπάντων σχεδὸν ἀνθρώπων ἔδεται διότι πάντων ἐστὶν ἀληθέστατον, deinde Gregorius Nazianzenus in carmine de virtute (I 2, 10 vol. XXXVII p. 723 Mig.) in excerptione veterum sententiarum adhortantium ad ἐγκράτειαν. ibi Charetis de frenando ventre (fr. 1 Nauck.) et Euripidis de saturitate libidinosa (fr. 887) trimetris idem iste versus legitur adiunctus, Gregorii versus 589. non manasse eum Attica ex comoedia νόον ostendit.

scholion Persii 2, 41 de senectute: *morbis omnibus abundat, unde dictum est 'senectus ipsa morbus est'*. auctorem verbi cum Iahnus non indicasset, ego Senecam citavi dicentem epist. 108, 28 *senectus insanabilis morbus est*. at his litteratoribus quid cum Seneca? ecce scholion Iuvenalis 10, 219 *Terentius dicit 'rogas? senectus ipsa morbus est'*, in Phormione v. 575 in libris Calliopianis.

castigabo etiam alia peccata a me in editione Iuvenalis, quia non ausus eram defugere superiorum editorum auctoritatem. sat. 14, 229: qui divitiarum amorem praecepit, etiam invitus pueros ad avaritiam instituit, *et qui per fraudes patrimonia conduplicari, dat libertatem et totas effundit habenas curriculo scelerum*. bene *conduplicari* Pithoeanus ceterique codices, male *conduplicare* editores, nam illa structura non solum multo hac frequentior est (exempla Georges lexicographus in *praecipere* plura dat quam syntaxin qui consignare coepit Draeger II p. 388) sed etiam internodia orationis ineuntis exeuntisque clariora atque eminentiora reddit. tum sat. 2, 92 melius erat conservare omnium codicum scripturam *Cotyton* quam mutare in *Cotyto* aut *Cotyton*. nam etsi has tantum accusativi figuras grammatici latini agnoverunt, illam tamen tot tamque varii libri testantur, ut non liceat dubitare quin lingua latina in his plerumque secuta sit aeolicam et doricam, qua Λάτων vel Λατών accusativus efferri solebat, non Λητώ nec Λητοῦν aut Λητοῖν (Ahrens dial. II p. 238, Meister I p. 157). latina exempla aliquot congegit Neue form. I p. 323, addo Priap. 68, 23 *Calypson* et epist. Sapph. 217 *Sapphon*. ceterum Κοτυτώ

Hesychius, isque gloriatus cura ἀκριβεστάτης γραφῆς, cf. Meinekius Theocriti p. 475. *Cotyia* iam dudum expecto secundum libros ut restituatur epodis Horati 17, 56 et Verg. catal. 13, 19.

verum adnectamus iucundius aliquid. formosi iuvenis pericula depingens Iuvenalis 10, 311 *fiet adulter inquit publicus, et poenas metuit quascumque mariti irati debet, nec erit felicior astro Martis ut in laqueos numquam incidat.* medium membrum, quoniam quo valeret non intellexerant, non modo librarii ut Noviomagensis ceteris impudentior (*mariti exigere ira potest*) sed etiam principes in litteris nostris viri ut Madvicius variis modis temptarunt. movit hos etiam mutatio temporis *fiet debet erit* nobis sane incommoda, tamen poetae huic temporum ac modorum desultori minime inusitata. docui construendum sic esse *et debet poenas quascumque metuit* ex ira mariti. saepe enim relativo pronomini verbum poetae praemittunt, Iuvenalis alias *nectit quicumque et argenti superest quodcumque* et *ius tradidit arcano quodcumque volumine Moyses.* sententia ergo haec existit: adulter poenas quascumque metuit, metuit autem ab irato gravissimas, sive daturus est reapse sive non daturus, obligatus tamen eis tenetur debetque, quippe quas commeruisse se sibi conscius sit et pro illius iure si res agatur, redditurum. iuvat vero ad inlustrandum Iuvenalem adponere non Epicuri sent. XXXV aut Petroni cap. 125 (*quidquid meruerunt*), sed quae modo in diario relata vidi verba Crucisali cuiusdam increpantis adversarios suae factionis: *die Zuchtruthe, die sie fürchten, haben sie verdient; ob sie sie aber so bald zu kosten bekommen werden, das steht in keines Menschen Hand* (*Frankfurter Zeitung* a. 1888 Mart. 6 num. 66 pag. 1 ord. 3).

mulieres aequae nobiles aequae lascivas in aequo tenet palma ob lasciviam data, *palmam inter dominas virtus natalibus aequat* Iuvenalis 6, 323. contractum hoc dicendi genus non tolerarat Iahnus sed mutarat versus clausulam. tutatur eam et coloris originem declarat versus de laude Pisonis 12 'at tu qui tantis animum natalibus aequas'.

inclinare Iuvenalis bis obscaene dixit, item *cevere*. Pompeis in pariete inscriptum legimus (*Notizie d. scavi* 1887 p. 37) hunc paene hexametrum *inclinabiliter ceventinabiliter*[*que*. populariter verbum alterum fictum est congruenterque nominibus Florentini Valentini.

V Propertius in Arethusa IV 3, 55: *Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis.* hoc catulae nomen Scaliger posuit ductum esse adnotans ab oculis glaucis, quos multi catulis ad-

signant, omnibusque editoribus persuasit. verum nec proxime abest a librorum scriptura neque ista significatione sententia expressior, vox acrior, oratio apertior fit, id quod poetam spectasse in eligendo nomine consentaneum est. *Graucidos* libri exhibent vel *Craucidos* vel *Grancidos*. id est *Craugidos*, nam permutata esse perpetuo talia *Cragon Gragon Gracon* ut in Ovidianis libris met. IX 647 scire puto omnes. catulis nomina saepissime indita sunt a latratu strepituque, Hylax Bremon Canache al. quid quod enumerans nomina catulorum Xenophon in cynaetico cap. 7 ipsum hoc adiecit Κραύγη? commemineram etiam aliquem scriptorem de venatione aut praeda venatica sic loqui οἱ ἔλαφοι ἤγοντο τίνος διώκοντος ἢ συναναγκάζοντος; τίνων ἵππων, ποίων κυνῶν; τίνος ὑλακῆς ἢ κραυγῆς, ἢ νέων προκαταλαβόντων τὰς διεξόδους τοῖς θήρας νόμοις; (Gregorium Naz. in laudatione Basilii cap. 7). Arcadum pastoriciam vitam canesque ac venationes tam Philopoemen Craugidos Megalopolita in historiis refert quam in Antipatri Sid. carmine παῖς Νεολαίδα Κραύγης ὁ θηρευτής. ergo nolite dubitare *Craugidos* nomen quin recte imponamus catulae et ex more veterum. iam iterate versum poetae de quo agitur, legite superioris distichi verba *omnia surda tacent*, et discite venturam sentire *Craugida*.

Bonnae.

F. Buecheler.